



12.

Q. D. B. V

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE

CLYSTERE
FEBRIVM, EXANTHEMATICARVM
REMEDIO

NON MINVS TVTO QVAM EFFICACI

QVAM

PRAESIDE

GEORGIO AVGVSTO
LANGGVTH

PHILOS. ET MED. D. PATHOL. ET CHIRVRG
P. P. ORDIN. ORDINIS SVI SENIORE
ET H. T. DECANO

PRO GRADV DOCTORIS

A. D. XXVII AVGVSTI MDCCCLVI

H. L. Q. C

PVBLICE DEFENDET
AVCTOR

IOANNES LVDOVICVS HENNE

TORGAVIENSIS

MEDICINAE CANDIDATVS

VVITTENBERGAE

PRELO EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDI
ACADEMIAE A TYPIIS



27.

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]





DE
CLYSTERE,
FEBRIVM EXANTHEMATICARVM
REMEDIO,
NON MINVS TVTO, QVAM EFFICACI



§. I.

PERAEQVE omnes febres exanthematicae, malignitatis vulgo accusatae, in acutis maxime et periculosissimis habentur morbis, eam cum primis ob rationem, quod tempora sua cum velocitate, per se suspecta fatis et terroris plena, decurrunt, multumque discriminis aegrotanti minitantes, fatali plurimum funestoque exitu finiuntur. Quo fit, vt decumbentes aequae, ac horum necessarii, audito earum nomine, admixtaeque malignitatis suspi-



fuspicione mota, toto corpore saepe contremiscant, sibi que et suis mox male meruere, aperte latenterque, incipiant; quo ipso violentia morbi ad maiorem, immo ad summum, malignitatis gradum exaltatur. Sed, vt nihil dissimulemus, nihil omnino est, quod maiorem huic morborum familiae infamiam pariat atque confirmet, quam ad opem ferendam aduocatorum Medicorum, naturam morbi strenue ignoantium, aut supina ab initio negligentia, eamque, mutata subito rerum facie, excipiens deinceps, veluti ex lateribus suis contra opinionem prorumpentis, malignitatis excusatio, aut certans dicacitate, de dubia remediorum adhibendorum virtute atque effectu, disputatio, magnorum in arte virorum dissensu et auctoritate, siue propria experientia, quam prae se ferre tantum non omnes solent, suffulta.

§. II.

TACEMVS in praesenti nobilissimas illas de venae sectione, siue commendanda in his febribus, siue dissuadenda, quaestiones; neque acerrimas, quas, eodem modo, uel laudatus, uel culpatus, calidorum et refrigerantium remediorum vsus effectusque mouit, lites, professo nunc studio, nostras facimus: etsi vtraque contentio, ex demonstranda deinceps genuina morbi natura, diuersisque, quae eandem saepe rem circumstant, conditionibus, facile videatur posse componi. Animus enim nobis est, vilioris, quod putatur, probabiliterque aut admittendi, aut reiiciendi, remedii causam in praesenti agere, et, speciminis inauguralis loco,
de



de clystere, febrium exanthematicarum remedio, non minus tuto, quam efficaci, argumentum occupare. In quo quidem expediendo negotio ita sumus versaturi, ut primum simplicia februm exanthematicarum phaenomena, cum causis et effectibus in corpus animale, ex natura obstructionis et inflammationis, deducta praemittamus; dein remedium nostrum, simplex quidem, sed efficax omnino, harum indoli accommodantes, eius frequentiore usum, toties hactenus neglectum, urgeamus; et postremo denique loco dubia, contra remedii, et securitatem, et efficaciam, forsitan mouenda motaque, diluamus atque eneruemus.

§. III.

UT autem ab initio statim monuimus, ad febres exanthematicas, hoc loco tractandas, non omnes promiscue febres, pustulis stipatas, referimus, sed illas tantum nunc intellectas volumus, quae pulsu paullum inaequali et debili, leui intercurrente horripilatione, calore nec intensiore, nec constanti, versus vesperam aliquantum incremente, languore totius corporis, cum aliqua animi morositate et sensuum alienatione, siti fere nulla, appetitu imminuto, vrina, mox sanorum non multum absimili, mox tenui et aquosa, alioque pigra, clanculum irruentes, iam vera exanthemata, iam horum periculum, secum trahunt.

§. IV.

EQUIDEM non negamus, quin affirmamus potius, et ex natura obstructionis et inflammationis utique asserendum



dum ponimus, etiam in reliquis febrium exanthematicarum formis atque figuris, exempli gratia, in variolis, morbillis, purpura rubra, circumspectum clysmatis usum, ut securum omnino, sic saepius, ac persuaderi sibi vulgus patitur, necessarium esse, horumque exanthematum eruptionem, tempestiva eius applicatione, et iuvari egregie, et omnem prope modum malignitatem, reiecto temere, cum methodo, quam dicimus, antiphlogistica, enemate, non facile auertendam, ad votum saepe, et cum stupore fecus sentientium, ignorantiumue, arceri, praesentemque depelli. Cui rei deinceps dicenda plurimum lucis, si quid eius desideretur, affundent, opinabilis illius malignitatis genuinas causas in apricum producentia.

§. V.

ENIMVERO, quum in descriptis a nobis febribus, quas epidemicas exanthematicas alii, alii catarrhales petechizantes, alii catarrhales malignas, verasque petechiales, vocare solent, videamus omnem alui ductionem, etiam per lenissima clysmata molitam, damnari continuo atque plane reiici; nobis autem, de natura harum febrium alia omnia sentientibus, et a clysmatum frequentiori usu nihil noxae, sed utilitatis plurimum, expertis, paullo aliter statuendum videatur: quo fundamento, a recepta plurimorum doctrina, medendique his febribus methodo, recedendum putemus, candide, exponere, in animum induximus.

§. VI.



§. VI.

QUVM istae febres, ab initio, paullo mitius agere, nec, nisi circa vesperam, vires sumere, et calorem, adhuc non ita exquisitum, quodam modo augere soleant, symptōmatibus reliquis haud magnopere vrgentibus, coryza tamen, grauedine, pectoris opplerione, tussi, primis diebus, saepe iunctis, pro catarrhalibus, benignis etiam, illas habere fere moris est, caussa, vbi epidemice grassantur, in aëris mutationes, aliosque diaeteticos errores, coniecta, speque, proxime sequuturæ valetudinis, facta certissima. Sed, vbi mitiorem indolem, prima quidem facie exhibitam, contra expectationem nunc commutant, tantoque vehementiori impetu exsurgunt, et aegrotantis vitam, in discrimen adductam, produnt, similitudine, a malignis hominibus, securos nimis incautosque facile decipientibus, desumpta, catarrhales malignae nunc vocantur, densa exanthematum agmina, purpura alba, petechiaeque, praedicuntur, expectantur, omnibus modis expelluntur, tantaeque caussa malignitatis, continuo in miasma uenenatum contagiosumque, coniuicitur.

§. VII.

EXPEDITA, fatemur, satis est subitae huius conuersionis ratio, nec caussa prorsus male excogitata, restantibus de maligna eius indole effectibus. Sed, nisi eius existentia aliunde probetur, et principium petere dediscatur, ista, precario sumta, non probata, hypothesi atque theoria, nos habitura est quam maxime dissentientes. Esti enim eius modi



modi misfma, quod Medicorum fcholae malignum venenatumque vocant, non omnino negamus, fed, cum in hoc morborum genere, tum alibi, quandoque lubenter admittimus, non poffumus tamen non, cum nobili Anglo, THOMA SYDENHAMO, idem de eius malitia sentire, quam de reliquis eiusdem census, acutis, nec feorfim confpicuis, venenis, tot fcilicet funeftorum morborum auctoris. Adeo enim nondum detecta eft horum venenorum natura, et propria cuiusuis indoles, fed tantis potius, et forte aeternis, obfcuritatis et repugnantiae tenebris immerfa latet, latebitque, vt nihil certi atque indubitati poni de ea queat, agique nobifcum praeclare admodum uideatur, fi effectus in corpus animale, fedula obferuatione cognofcendos, reprimere tantum liceat.

§. VIII.

SCILICET SYDENHAMVS ^{a)} non tantum opinionis, de malignitate, inuentionem humano generi longe, ipfa Pyrii Pulueris inuentione, lethaliorem effe pronunciat; fed rationes etiam, quibus eius exiftentia adftruitur, de fe confutat, pulchroque fuam fententiam exemplo illuftrat. Neque enim ex confpectu Petechiarum, macularum purpurearum, et caeterorum id genus *Φαινόμενον*, neque a maiori aegrotantium debilitate, viriumque confumtionem, quam quae a mitioribus prouenire potuerit fymptomatibus, ad eius modi malignitatis praefentiam ftatim concludendum effe,

^{a)} in *Schedula monitoria de nouae febris ingreffu*, Opufculor. vniuerf. p. m. 681. fqq.



esse, rectissime docet. Ad illud reponit, haec omnia in plerisque subiectis inflammationi, aegri sanguini iamdiu plus satis a febre accenso superinductae, omnino deberi; ad hoc autem, ea omnia exinde tantum procedere, responder, quod naturae a primo morbi impetu quasi oppressa deuictaque, non satis valida sit, vt symptomata regularia, et magnitudini morbi consona, exerat. Etenim, addit, perturbata oeconomia animali et quasi disiecta, febris exinde deprimitur, quae, obtinente genuino naturae ductu, vigere solet. Quam suam doctrinam experimento haud vulgari, in iuvene quodam, sumto, rem omnem exquisite illustrante, hoc tandem modo confirmat: Quamuis iuuenis iste, ad quem accersebar, ferme animam agere videretur, calor tamen in externis corporis partibus ita ad tactum sentiebatur temperatus, vt fidem mihi derogarent praesentes amici, quoties asserebam, eum febre laborare, quae ob sanguinis oppressionem (cuius mole, exitu negato, quasi strangularetur) se explicare et ostendere palam nequireret; quod si venam inciderent, febrem illico satis violentam statim animaduertent. Aperta vena, et sanguine paullo copiosius educto, emicuit febris, qua vehementiorem mihi onndum videre contigit, quae non nisi tertiae quartae demum phlebotomiae cessit.

§. IX.

QVA in re nemo est, quin coactum se profiteatur, vt totus SYDENHAMO consentiat, ipsique aeternas laudes, cum doctissimo BOERHAAVII commentatore, Perill. van





SWIETEN, ^{b)} decernat, quod generoso ausu solus fere huic se torrenti opposuerit, quo Medici quondam, in omnibus fere acutis morbis, malignitatem quandam, summo aegrorum discrimine, crepabant, et cardiacis utebantur, calidissimisque alexipharmacis, ut illam per sudores, perque omnis generis exanthemata, expellerent. Maligna enim febris, sic pergit, non omnium dierum morbus est, et longe frequentiores febres inflammatoriae obseruantur; siue inflammatoria sanguinis densitas ante febrem praeexstiterit, siue febrili impetu dissipata sanguinis parte tenuiori, in spissata reliqua, nata fuerit. Donec enim manifestiores causae suppetunt, ex quibus probabili modo effectus, etiam grauiores, symptomata illa anomala, et purpuratas, foediorique colore horrorem incutientes, cutis efflorescencias, deducas, sane ad minus manifestas, multoque obscuriores, et gratis potius sumendas, quam probandas, in medicina maxime, recurrendum non est. Ex vno errore innumeri alii propullulant, et nata in nonnullis morbis, minus periculosis, malignitatis suspicio, sine aliquo contagioso venenatoque miasmate, malignitatem certissime prognerat, nullo deinceps remediorum genere, nullis cardiacis, expellendam.

§. X.

NISI magnopere fallimur, purpura illa feralis, quae, inde ab anno seculi superioris quinquagesimo secundo, praesertim in Saxonia nostra, Misnico eius tractu, et vrbe Lipsien-

^{b)} in *Commentariis* in BOERHAAVII *Aphorism.* Tom. II. p. m. 441. sq.



Lipsiensi, lautioris maxime conditionis puerperas misere afflixit, densatisque funeribus, tanquam per excellentiam, ut ille apud COLVMBELLAM, ^{c)} letifer morbus credita atque dicta est, praecudicatae illi opinioni, de singulari malignitate, caussaque eius contagiosa et venenata, natales suos in primis debuit, medendique ratione et regimine, huic caussae accommodatis, dirumque illud virus per calidiora remedia expellere idoneis, mirum in modum adoleuit, et nomen tandem titulumque scandali medici consecuta est. Fere enim, hac aetate nostra, omnino cessauit, endemiusque, siue epidemicus etiam, haberi hic morbus desit, ex quo, proscripta opinabili illa malignitate, eius naturam, ab obstructione et inflammatione oriundam, et a peruersa puerperas tractandi ratione totam, rectius medentes perspexerunt, cardiaca atque alexipharmaca remedia cum regimine, purpuram aliaque exanthemata in sanissimo homine, sine omni miasmate, certissime productura, reiecerunt, grauidasque atque puerperas, repetitis venaesectionibus, lenioribus euacuantibus, clysmatum tempestiua applicatione, diluentibus aestumque exstinguentibus remediis, et temperato magis regimine, vno verbo, necessaria in huius generis morbis antiphlogistica methodo, a tremendi huius malignique hostis impetu praecauere, eiusque violentiam reprimere et debellare, didicerunt. Quae quidem sententia nostra ex eo adhuc probabilior efficitur, quod illae ipsae caussae diacteticae, quibus HOFFMANNVS, ^{d)} SCHVL

B 2

ZIVS,

c) de Re Rustic. VII, 12.

d) in Patholog. Speciali de Febre purpurata etc.



ZIVS, e) aliique, huius morbi originem atque frequentiam adscribendam putarunt, huc dum antiquum obtinent, funesto tamen hoc effectu prorsus destitutae; nisi forte mendendi errore, et calidiori regimine, suppresso in primis aut languidiore lochiorum fluxu, alioque per plures dies bene constipata, symptomaticae purpurae diues occasio subinde suppeditetur.

§. XI.

NIMIRUM rectiora nunc edocti sumus, postquam recentiora tempora in SYDENHAMI vestigiis, nunquam satis depraedicandis, summa diligentia institerunt, in primisque doctrinam de obstructione atque inflammatione, ea accuratione excoluerunt, tam et perspicue tradiderunt, ut, quod addi magnopere, atque in pleniore luce collocari, debeat, maximi viri, BOERHAAVIUS, eiusque commentatores, SWIETENIVS, GORTERIVS, aliique, vix quidquam reliquum fecerint. Ea enim est nostrorum temporum felicitas, ut plerosque effectus et phaenomena, peregrinis et occultis causis antiquitus adscripta, ad suas genuinas causas, modo intelligibili, nexum, quod palmarium est, demonstrante, nunc referre nobis liceat. Sane ad ἀκμὴν adducta, de obstructione et inflammatione, doctrina, non minus chronicorum, quam acutorum, morborum claras intelligentibus, plenasque notiones exhibet; siquidem nullum facile, siue laxitatem, siue rigiditatem, spectaueris, vitium in solidis obtinet, quin mox humorum circui-

e) in *Patholog Special.* Sect. I. cap. 10. §. 8. fgg.



circuitus turbetur, et hinc stagnatio, obstructio, inflammatio, resolutio humorum, intemperies, singularis acrimonia, aliaque phaenomena, accedentibus maxime caussis externis atque vehementioribus, inde tandem inducantur.

§. XII.

EXEMPLI loco febres nostras, superius descriptas, appellare possumus. Arguunt omnia, quae enarravimus, phaenomena, sedem morbi in ipsis nervis haerere, et, pro morbi conditione, nunc in obstructis, nunc in inflammatis, vasculis minimis, et forsitan vltimis tunicae, quae ipsos circumdat, adnata, siue coniunctiua, propterea vocari merentis, quaerendam esse. Perlecta, quae BOERHAAVE, eiusque doctissimus commentator, *van SWIETEN*, in Aphorismis 372 vsque ad 379 habet, lucem affundunt assertis nostris, ex datis, in praemissa antea definitione, vltius confirmandis.

§. XIII.

SED reliqua phaenomena, quae, salua morbi nostri natura adesse et abesse possunt, vt fordes et siccitas faucium, phrenitis, angina, aphthae, pleuritis, singultus, vomitus saepe intercurrents, diarrhoea, passio cholericæ, lipothymiae, tremores artuum, tendinum subfultus, in primis exanthemata, horumque facies subinde mutata, nec non diuersus morbi, vel in sanitatem, vel in morbos alios, vel in mortem denique, exitus satis superque probant, quod nihil sint aliud, quam diuersi effectus, partim caussarum externarum, modo leuiorum, modo vehementiorum, partim



vero, et quod maximum, inflammationis, diuersis vasorum generibus, sanguiferis, serosis, lymphaticis, aliisque, inhaerentis, ab humoribus, non minus propriis vasis violenter intrusis impactisque, quam, loci errore, in aliena loca, vasaque minoris diametri, pulsis, concitatae.

§. XIV.

A scopo nostro nimis nos remoueret, si omnia haec copiosius exponere, et solide demonstratas veritates de nouo reperere, hoc loco vellemus. Satis erit, duorum maxime capitum, malignitatis atque exanthematum, rationem habere. Ac de malignitate quidem, quae nostra sit sententia, iam supra non obscure significauimus. Duo nimirum fontes sunt, ex quibus deriuanda est singularis illa, indolem alcalinam referens, acrimonia. Modo enim extra corpus nostrum nascitur, peregreque ipsi adducitur, quam tum miasma venenatum, contagiosumque, si vno quasi impetu plures adoriatur, scholarum consuetudo vocat. Eius existentiam ex effectibus discimus, tum quidem alia ex causa prorsus non deducendis. Mittimus variolarum, morbillorum, dysenteriae, contagiones; etsi variolarum inoculatio, tantis hodie successibus merito superbiens, quid eius modi miasma in sano etiam corpore possit, luculenter ostendat. Ad nosocomiorum, aliorumque locorum, liberiores aëris accessionem et ventilationem non satis permittentium, in quibus magna hominum, aegrotorum in primis, omnibus rebus indigentium, frequentia est, febres tuto prouocare possumus. Inevitabilis sane in his saepe est februm



brium malignarum contagio; quod IOANNI PRINGLE, *f*) celeberrimo, et in omni arte versatissimo Medico, oculo testi, sine ambitione credas. Nemo ab hoc hoste tutus fere est, neque, si primum etiam impetum feliciter represserit: tam facile, tam frequenter, nouo praelio congregiendum est. Si originem huius miasmatis requiris, hoc sane extra controuersiam est, illud in ipso, qui eo nunc corripitur, aegrotante progenitum non esse; etsi deinceps per eundem latius propagari soleat. At, si ad eius initia et progressum animum aduertis, facile deprehendis, sanos in corpore humores pedetentim corrumpti, prima symptomata mitiora esse, tum vero febrim in non nullis magis magisque accendi, stases generari sanguineas, in inflammationem, nisi promte succurras, summumque eius gradum, cito abituras, et vniuersalem denique humorum putredinem progigni. Vt nimiam sanguinis et humorum in plethorico corpore abundantiam, sic eorundem intemperiem et spontaneam acrimoniam, alia atque alia phaenomena, mox gangraenam et sphacelum, mox exanthemata atque petechias, citius leniusue, producere debere, iam per se satis clarum est. Id quod pariter de opposita ipsi medendi methodo, de regimine, deque aliis externis causis, teneas.

§. XV.

MODO autem contagiosae huius malignitatis scaturi-

f) Observations on the diseases of the Army in camp and garrison. Part. III. cap. 7.



go in ipso corpore, quod nunc occupat, inuenienda est. Sicuti enim miasma, de quo iam diximus, a cadauerum putredine, humorum, in viuo aegrotoque animali atque homine, corruptione, horumque exhalationibus, oritur: ita dubitari omnino non potest, eiusdem venenatae indolis singularem acrimoniam, sine causa externa violenta, suaeque sponte, in humoribus nostris, a statu suo deiectis, re vera produci. Vtrobique enim corporis natura, per plures gradus intermedios, paulatim in sua elementa resoluitur. Id SYDENHAMVS, exemplo iuuenis sui, maligna febre, ex nimia humorum abundantia, vires supprimente, laborantis, supra probauit. Idem toties in aliis febribus, neglectis, contrariaque medicina curatis, in puerperis maxime, ex lochiorum fluxu cohibito inflammatoria febre obnoxiiis, in dysenteria, hectica febre, aliis morbis, acrimoniam, humores fundentem, tandem generantibus, obseruandum est. Nisi in his morbis, humorum dyscrasia, vasorum omnis generis obstructio, stasis sanguinea, inflammatio, exulceratio saepe, febrisque, nunc exquisitior, nunc occulta magis vixque sentienda, praecesserit, nec tantam humores acrimoniam concipere, nec tam manifesta, malignitatem prae se ferentia, symptomata, alias a contagione obseruari solita, excitari potuissent.

§. XVI.

RES igitur omnis ad idem fere redibit, si vtriusque miasmatis aut acrimoniae, siue aliunde adductae, siue in propria domo natae, idem tandem effectus in omne corpus,

pus, in solidas fluidasque eius partes, redundat. Si ab eo enim discesseris, quod in prioris generis febribus, harum initia statim, vtut meliora visa, singularem tamen, viribus nulla de caussa occisis, debilitatem, malignitatemque prodant; in posterioris generis febribus autem, inuerso veluti ordine, primus impetus violentior longe sit, debilitas lento demum pede subsequatur, tandemque funestas malignitatis notas, viribus exhaustum corpus, exerat: idem vbique discrimen parari, nec vtramque malignitatem veram intercedere diuersitatem, apertum est.

§. XVII.

NIMIRVM ferius, ocyus, functiones corporis, altera post alteram, turbantur, secretiones et excretiones cohibentur, chylus, sanguis vitiantur, nutritius succus funditur, eamque tenuitatem humores omnes contrahunt, vt alii vasa sua deserant, aliena petant, in his alii subsistant et obstructions generent, in aliis, stimulando, irritando, contrahendo, ipsi viam sibi praecludant, spasmos, conuulsiones, congestiones, acutissimos dolores, aestus, vigiliis gignant, languores, stupores, atonias, relinquunt, communique errore et versa vice destruant, et destruantur. Ex quibus praemissis id sponte consequitur, sic resolutos humores, non modo partes, ex fibrillis nerueis contextas, sed ipsas etiam tunicas vaginasque neruorum, et tenuissima earum vasa, modo in his, modo in aliis, visceribus et corporis partibus, subire, ipsos neruos; succi nutritii vitio, resolueri, spirituum animalium, tum secretionem, tum influxum,



xum, et ad partes adfluxum, impedire, quodque adeo consentaneum est, ipsis in neruis sedem quasi suam, quae scilicet malignitatis genuina natura est, cum consensu vniuersae machinae, figere debere.

§. XVIII.

NUNC de exanthematibus, sed breuiter strictimque, adhuc dispiciendum est. Supponunt illa semper aliquid, quod per vasorum quorundam, sanguiferorum, serosorum, lymphaticorum, feriem determinata velocitate transire non potest, sed subsistit, stagnat, vasa obstruit, distendit, vicinaque comprimit, adeoque non tantum functiones partium laedit, sed in vniuerso etiam corpore magnos saepe tumultus, febresque varii generis, concitat. Id quod in iis partibus, iisdemque in vasis, per quae, nisi exquisitius elaboratis tenuissimisque humoribus, transitus non conceditur, omnium frequentissime ita euenire debet. Sed aliam quam partem, praeter cutem, totam fere ex nerueis fibrillis contextam, vasculisque tenerrimis persusam, nullam huic rei magis aptam deprehendimus. Per illam enim insensibilis, quae dicitur, transpiratio, reliquas excretiones, simul sumtas, multum excedens, tanquam per locum maxime opportunum, celebratur, et sub tenuissimi halitus forma, quidquid superfluum et mixtioni corporis inimicum est, continuo successu educitur. Inde enim fieri debere concipitur, vt corporis nostri humores, secundum naturam, pororum cutaneorum beneficio, in integritate sua conseruentur, et, si quod vitium contraxerint,



rint, ab illo per hos meatus liberentur. Quo ipso reliquis visceribus, nobilioribus praesertim, sapientissime prouisum est. Hoc igitur intellectum volunt clarissimi artis nostrae professores, ubi, salutari naturae molimine, materiam morbi in febribus exanthematicis versus corporis superficie deponi, perque cutem solenniores eius crises, optimis aegrotantium rebus, fieri, docent. Quodsi vero humores, qui nondum satis ad exitum suum praeparati atque cocti, sed crudi adhuc et multa labe infecti sunt, ad cutem adducuntur, necessario in his eius meatibus eius modi obstructio gignitur, quae varii generis exanthematum, pro vasorum obstructorum, viciatque humoris, per illa transitori, diuersitate, fecundissima mater est.

§. XIX.

CAUSSAE ergo nihil est, quod nos cogat, ut, singulis fere exanthematum generibus, peculiare definitae naturae miasma tribuamus, ab eoque coniunctam saepe cum febribus, ab iis nomen habentibus, malignitatem deriuemus. Quae quidem, ut supra dictum est, potiori iure in eo consistit, si aut acutior humorum fluidissimorum acrimonia, ad ipsa sensus motusque instrumenta, ad nervos, usque pertingit, aut crassiores humores, errore loci, ad non meabiles facile neruorum vaginulas adducuntur; quorum igitur neruorum tensione, irritatione, compressione, resolutione, vniuersa tandem animalis oeconomia turbatur, et nobilissimae, vitam conseruaturae, actiones, sus-



flaminantur, penitusque supprimuntur. Neque etiam illorum ratio fundata magis atque neruofior est, qui de expellendis quidem exanthematibus mature vniceque cogitant, crudiorum autem humorum praeparationem non attendunt aut expectant; quo ipso saepe exanthemata ipsi faciunt, aut eorum spontaneam eruptionem impediunt, et malignitatem morbo conciliant, ab eius natura saepe plane abhorrentem.

§. XX.

EXPOSITIS iam, quae febrium harum exanthematicarum indolem, primo quidem intuitu satis saepe mitem, sed tanto deinceps grauiorem, fereque malignam, efficiunt, missisque, quae vim vocis medicamenti concernunt, quum quid sibi clyster velit, apud omnes constet; nunc, ex ordine dicendorum, propius ad rem, praecipue nobis obiectam, accedendum, paucisque adhuc, quem vtilitatis fructum, ab applicatione clysteris, in curandis cum securitate febribus nostris exanthematicis, expectare liceat, quaeque eius esse materia conueniat, expediendum est.

§. XXI.

OMNIS in corpore inflammatio, adhuc resolutionis capax, requirit sua natura, vt fluidarum partium coagula, interpositis particulis liquidioribus, diluantur et soluantur, insimulque vasorum strictura et ariditas laxetur et humidetur; quod in primis in eorum constrictione, quae ab acrimo-



acrimonia singulari, solidas partes continuo vellicante, prouenit, omnino consentaneum cernitur. Verumque autem, ut, tum vniuersum corpus, tum partem inflammatam, ad quam medicinae accessus patet, humectando, fiat, necesse est. Ad quem scopum attingendum num clysteres etiam ex parte symbolam conferant, iudicatu non ita erit difficile.

§. XXII.

QVOD ad materiam, ex qua clyster parandus sit, atinet, per se, hoc est, per ea, quae iam praemissa sunt, satis patet, omnem, vel minimum etiam, stimulum ab eo abesse oportere. Ex sola igitur aqua dulci, oleo lini impraegnata, ex decocto hordeij, auenae, sero lactis, ipso lacte, et ceteris, huius diluendi, emolliendi, relaxandi, virtutis rebus, clyster praeparetur coquaturque, et, pro circumstantiarum varietate, repetitis vicibus, parca tamen copia, suspensa promptaque manu, et cum siphone, quo altior penetret, iniiciatur. Equidem haud opus est, ut omnis generis cautiones, quae alias cum diligentia obseruandae sunt, hoc loco denuo repetamus: hoc tamen probe circumspiciendum monemus, ut tempestiue satis, maxime, vbi aluus ab initio decenter ducta, et a faecibus induratis liberata, non est, in auxilium aduocentur clysteres, totiesque repetantur, donec illa aperta satis sit, nec dolores amplius spasmi que vrgeant, nullusque inflammationis, has exquisitoris sensus partes occupaturae, metus relinquatur. Praeterea et hoc notandum ducimus, neque, vbi omnia feruent, neque,

C 3

vbi



vbi iam ad vltima peruentum est, clysteris adplicationem facile commendandam esse, ne, qui feruari amplius non poterat, dilato nimis procrastinatoque infontis remedii vsu periisse censeatur; quo saepe praestantissimis medicinis, ab artis usoribus, infamiae notam iniustam fuisse nouimus.

§. XXIII.

OPERATUR vero clyster, hoc consilio datus, instar balnei repidioris, vaporibus suis in vasa, nusquam magis, quam in volumine intestinorum bibula, receptis; id quod, inter alia, olei, per clysteres iniecti, cumque vrina redditi, odore suo se, ab alia pinguitudine, distinguunt in matula, aliquoties a nobis ipsis, aliisque, fide dignissimis viris, obseruata praesentia omnino probat. Solatur mirifice neruos, horumque plexus, quos nonnulli Anatomicorum vocant, mobiles, magnopere relaxando. Hinc etiam, vasa et viscera abdominis humectando, grateque calore fouendo, incipientes febrium exanthematicarum inflammationes, vicinis partibus eminus cominus inductas extinguit, et deriuando reuellendoque, immo, sedatis spasimis, temperataque acrimonia, demulcendo et quasi refrigerando, prodest; vt in praesenti effectum eorum, in fecibus aridis et induratis, intestinaque perpetim irritantibus, emolliendis atque eliminandis, longe eximium haud longa oratione persequamur. Sic simplex quidem, ast nobile, medicamentum hoc, dum modo diutius in corpore retineatur, tantum non omni expectatione maiorem edit effectum, vt
viri



virī, in artis exercitio cum laude versati, dudum experti norunt, nosque adeo ipsi experimentis, saepius institutis, et spem omnem fere superantibus, didicimus.

§. XXIV.

QUIBUS intelligitur, nos nequaquam nostram facere non nullorum, his febribus medendi, methodum, qui, in febribus exanthematicis maligna materia vires cordis infringi, autumantes, id, quod ipsi infestum opinantur, per sic dicta bezoardica et alexipharmaca remedia, conveniensque ipsis calidius regimen, corporis ad superficiem propellere, et ex internis quasi latibulis foras proscibere, fatagunt. Quo etiam sponte corrui dubium illud, quod opponi laudatis clysteribus toties audias, nimirum hoc remedio tum eruptionem exanthematum impediri, tum laetiam efflorescentes in cute maculas ad nobiliora viscera, vitaeque ipsius penetralia, reuocari. Tantum enim abest, ut, obseruatis rite conditionibus necessariis, peccans materia, mobilis facta, ad interiora, reuocato veluti gradu, inuicetur, ut potius critica haec excretio non solum egregie iuuetur, sed saepe etiam, exanthematibus, maxime symptomaticis, nisi cum aegrotantis discrimine, nunquam expectandis, occasio, malignaque, hoc sensu, materia subducatur. Haud dissimili tandem errore, virium, iam satis debilitatarum, conditionem promiscue excusari, nec vires inter exhaustas occisasque distingui, frequentius audias; quo etiam illorum strepitus referendi sunt, qui, clystere applicato, totum febris decursum, in praesentissimam aegri
perni-



perniciem, turbari, cautissimi vrgent, cum SCHOMBERGIO in Aphorismis Practicis praecipientes: apparentibus petechiis nil amplius in primis viis mouendum: siquidem ipsa etiam enemata, (sed qualia?) eo tempore maximo opere suspecta sunt. Quibus, vt supra iam responsum, sic, veluti in complementum, adhuc respondendum est: in hac ipsa, non, vt decet, fundata obiectione et excusatione, sufficientem tristissimi euentus rationem contineri, quare Medici, his subsidiis, propter praecudicium, aegrotantis, huiusque necessariorum, vltra crepidas soleasque sapientium, auctoritatem, destituti, morbum hunc, toties funestum, si quidem vnuquam, difficillime et curare, et auertendo auerruncare, valeant.

T A N T V M



DA A 6545

ULB Halle 3
003 105 768




Sb.

VD 18

VD 17





12.

Q. D. B. V
DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE

CLYSTERE
FEBRIVM, EXANTHEMATICARVM
REMEDIO
NON MINVS TVTO QVAM EFFICACI

QVAM
PRAESIDE
GEORGIO AVGVSTO
LANGGVTH

PHILOS. ET MED. D. PATHOL. ET CHIRVRG
P. P. ORDIN. ORDINIS SVI SENIORE
ET H. T. DECANO

PRO GRADV DOCTORIS

A. D. XXVII AVGVSTI MDCCCLVI

H. L. Q. C

PVBLCICE DEFENDET
AVCTOR

IOANNES LVDOVICVS HENNE

TORGAVIENSIS
MEDICINAE CANDIDATVS

VVITTENBERGAE
PRELO EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELD
ACADEMIAE A TYPIS

